



LIBER I.

PRINCIPIUM culpæ, stygiæque tyrannidis ortum
Et quæ fera premant miserandos fata nepotes,
Servitio turpi scelerum, pœnaque malorum,
Pandimus. O sacræ moderatrix, Diva, poësis,
Quæ citharæ quondam nervos, artemque regebas 5
Jessiadæ! faciles ad carmina suffice vires.
Non mihi Pieridum Nymphæ, Cirrhæque recessus,
Nec Phœbea placet laurus, nec oliva Minervæ,
Pegaseusve liquor, priscorum somnia vatum.
Pro Musis Divina parens; pro culmine Cyrrhæ, 10
Major Olympus erit; fundet mihi dulcior undas
Gratia; Palladium vincet sapientia Numen.
Tu cœptis, o Diva, fave, nostrosque labores
Dirige inoffenso per secula pristina cursu.
Quo me cunque rapis, sequor impiger; omnia namque 15
Te ductrice patent, rerumque occulta tueris,
Prima opifex, nostræ spectatrix prima ruinæ.
Audior? en facili rapior per inane volatu
Tellurem super, & liquidam super ætheris auram,
Trans avium Boræque vias. Jam sidera præter 20